





DE  
RE SINGVLARI E PLVRIBVS <sup>12</sup>  
VNO PRETIO VENDITIS

RETRAHENDA

EXERCITATIONEM IVRIS GERMANICI

ILL. I. CTORVM ORDINIS AVCTORITATE

P R A E S I D E

IOH. THEOPHILO SEGERO

IVRIS SCIENTIAE ET PHILOSOPHIAE DOCTORE

CODICIS ANTECESSORE ORDINARIO SVBSTIT

COLLEGIO I. CTORVM ADSRIPTO

A. D. XIII. NOVEMBER. AN. MDCCCLXVI.

H. L. Q. C

AD DISCEPTANDVM PROPOSVIT

CHRISTIANVS CAROLVS KANNE

IVRIS VTRIVSQVE CANDIDATVS.

---

L I P S I A E

LITTERIS VIDVAE LANGENHEMIAE

D.E.

RE SINGULARI E PEARIBVS  
VNO PRETIO VENDITIS

PETRAHADA

RECTORVM ORDINIS AUCTORITATE

P. R. A. P. S. I. D. R.

ION THEOPHILUS SEGERO

PHILOSOPHIAE ET THEOLOGIAE DOCTOR  
MEDICINAE ACADEMICUS

A. D. XMI. NOVEMBR. AN. MDCCCXXVII

AD PUBL. LIBRARIUM PROF. VICE

CHRISTIANVS CAROLVS KÄNNE

PHILOSOPHIAE DOCTOR

F. I. P. S. I. A. N.

LITTERAE ACADEMICAE



**R**euocationem alienatorum communi nomine retractum  
vocat, cuius video passim usum ad reuocandas do-  
nationes, actionemque Paullianam, et retrahendas ex  
Lege Sentia libertates produci. Is vero duobus  
modis potissimum instituitur, aut pretio venditionis  
oblato, aut gratis. Nam cum iure emphyteutico ce-  
didit emphyteuta, beneficiario cliens, propterea, quod clam  
dominum facta est alienatio, vtriusque praedii ablatio retractus  
audit, et in hoc quidem propria retractus feudalis species cerni  
dicitur. Vbi inter omnes conuenit, toto patrimonio aliena-  
to, cuius vel minima pars clientelari nexu haberetur, iustam  
ablata particula dominum vindictam sumturum, cum bonae fi-  
dei emtor possit ad auctores suos recurrere: Sed in altero ge-  
nere rerum, quae alienari prohibita non sint, maior dubitatio  
est, pluribus vno pretio venditis, quarum aliae, si solae ven-  
dantur, retrahentem admittant, aliae nullatenus obligentur, iu-  
sta sit actoris partem pro parte pretii reposcentis intentio, an  
confusionis exceptione opposita elidatur: deinde num petente  
A 2 aduer-



aduersario pars obnoxia partem infontem trahat, et omnes res simul venditae sint eodem vno pretio retrahendae, an debeant aestimatione iudicis separari, an tandem ex eo potius, quod res in iudicium deducta aut maiorem aut minorem rerum coëmtarum partem efficiat, pendere litis euentus, et vel repellendus, vel audiendus actor retracturus iudicetur? Quas vtrinque opiniones cum variis modis fulciri atque infirmari intelligenrem, cotidiana illarum in foro auctoritate et dignitate virorum grauissimorum, qui in iis discutiendis magnam iudicii vim atque eruditionis copiam ostendissent, permotus coepi fementiae meae rationes colligere, quae et illam approbare, et aduersaria argumenta frangere viderentur, non ego mihi quidem sumpturus frequentissimae litis arbitrium, sed vt tanquam patrocinio praestito iudices meae parti benigniores conciliarem.

#### §. II.

Iam primum, quia ex origine iuris cuiusque cognita plurimarum litium decisiones minori erroris periculo repetuntur, quantumuis temporis praeteriti monumenta euoluerim, fateor, nec de nostrae actionis aetate, nec de auctoribus satis constare. Qua de re diuersa virorum doctorum iudicia collegit ANDREAS TIRAQUELLVS praef. Op. de *retractu*, post quem, maiore historiarum luce praelata et vertentibus melioribus Iuris Germanici fati, illud quidem retrahendi genus, quod rei immobilis venditae vel pignori obligatae euictione restituito venditionis vel obligationis pretio exercetur, et cuius dubio procul, vt hodie frequentissima, sic prima omnium idonea ratio sanguinis ac priuatae potestatis vinculum fuit, vir summus IOH. SCHILTERYS censuit in ipsa Germania ortum, atque ex antiquissimis populi nostri moribus ductum. Visa tamen viro perspicacissimo eius aliqua in legibus Romanis vesti-



vestigia. Nam et veterum prudentum auctoritatem, qua proximorum ac consortium ius extraneos ab emtione remouendi antiquitus inuectum esse constituit, et metrocomiarum priuilegia, ne quis vicanus praediolum, nisi in eiusdem metrocomiae habitatorem transferret, ex constit. XIV. C. de contr. emt. vend. et Tit. Cod. Non licere metrocomiae habitatoribus loca sua ad extraneos transferre, scite eleganterque commemorauit. Friderici autem II. constitutionem in libro V. Feud. tit. XIII. Cuiacianae recensiois positam, cum ea ius antiquum in Occidentis imperium, velut a Lecapeno in Orientis, reuocatum esse scripserit, ita profecto laudauit, vt credi posset, omnem hodiernae consuetudinis originem illi vnice tribuisse, nisi vetustiore Saxonum lege Tit. XIV. §. II. et Tit. XVI. qua liberorum agnatorumque consensus in alienationibus praediorum desideratur, veram eius et genuinam rationem contineri ostendisset. Verum celeberrimo LEYSERO haec ratio persuaderi non potuit. Cum enim multa legum Romanarum atque accurata lectio haberet in ingenio Leyseri hanc vim, vt consuetudinum Germanicarum, quas nobis esse proprias facile dubitauerit nemo, veluti tutelae pactitiae, tacitique, ne plura exempla commemorem, liberorum e patria potestate egressus, vel similitudines vel origines in iure populi Romani sibi inuenire videretur, propinquorum quoque et consortium facultatem, remouendi ab emtione extraneos Romae ante Valentiniani Theodosii et Arcadii Const. XIV. C. de contr. emt. vend. exercitam, ab his quidem Imperatoribus aequitatis causa depressam, const. vnic. C. non licere habitatoribus metrocomiae loca sua ad extraneos transferre; vicanis quodammodo seruata, denique a Friderico II. lege siue Siculis siue Italis omnibus promulgata omnino restitutam notisque auctam accessionibus, deinde vero in Germania aliisque passim Europae regnis, contra patrii moris indolem et antiquam



tiquam commerciorum libertatem, vitio interpretum magis, quam legislatoris iussu sensim ac pedetentim sumtam stabilitamque existimavit. Hae duae capitales de origine huius iuris sententiae, hi auctores: nam priorum a Tiraquello recensita disputatio magis ex iuris Germanici et melioris disciplinae ignorantia, quam veris dubitationum fontibus ducta videtur.

§. III.

Bonum vero factum: Facilis est illarum discordiarum transactio, et, nisi omnino fallor, a clarissimis duumviris LAVENIO (disp. de retractus gentilitii origine) et GNVGIO, docti libelli praeside BVDERO defensi *de iuris retractus gentilitii in Germania origine* se scriptorem professio, quanquam in diuersa euntibus res confecta. cf. inprimis viri doctissimi IO. ISAACI MOORS Disp. *de iure protimisco sine retractus conuentionalis et legalis. Giessae. 1732.* Etenim vt meam de ea re mentem exponam, quia longiores aliorum disputationes ingredi nec vacat, nec lubet, const. vnic. C. non licere habitatoribus metrocomiae loca sua ad extraneos transferre, vbi cum Nou. XXXVIII. Cap. VI. comparatur, caeteris quidem metrocomiae sociis ius aliquod reluendi, quo vt possent, aut non possent, nequaquam concessisse intelligitur, verum omnem emtionem extranei, caeteris vicanis licet consentientibus, nullam pronunciasse, imposta tamen venditoris, vt pretium emtori refunderet, compellendi necessitate magistratibus et iudicibus, cum publicorum etiam agrorum emtores a ciuitatum curatoribus pulsati possent ad auctores suos recurrere. cap. III. D. *de administ. rerum ad ciuit. pertinent.* Nam sicut in vniuersum haec fuit imperii Romani prouinciarumque eius ordinatio, vt, cui quem sua nascendi fors vel victoriae lex adscripsisset, ab eo corpore difficulter possent diuelli, sic multitudo vicano- rum, ne curialibus aliisque acratio non aequali conditione ob-  
noxiis





noxii daretur se vicanis inimiscendi licentia, flagitauerat. Quapropter omnino vetitae emtiones extraneorum, quo cogentur vendituri in habitatorem metrocomiae quempiam transferre suas possessiones. Quae cum ita sint, ego quidem in ea lege nihil, quod cum successione in emtoris inuiti vicem ex iure incolatus Germanico conueniat, perspicere possum. Quamuis enim instituti eius non fuerit ea vis et ratio, a LEYSERO Spec. CLXXXV. Med. IV. et V. allata, ne fiscionibus vicanei, substitutis locorum possessoribus ingenuis, se subtraherent, verum maxime, vt ipsis vicanis prospiceretur, aduersus quos humanitate ad eam legem perferendam se motos dicunt Augusti, praeterea, vt curialibus caeterisque extraneis rumpendi curialis aliusue vinculi occasio praeriperetur: rectius tamen illud quarundam regionum legibus compares, quae ciuibus et nobilibus interdunt promiscuo praediorum rusticorum commercio. A VALENTINIANO tandem THEODOSIO et ARCADIO aut de cognatione ne verbum quidem, quae plerorumque verisimilis est sententia, aut quia missa est Praefecto Praetorio Illyrici, celebri illa const. XIV. C. de contr. emt. vend. morem nequaquam Romanum, sed totum barbarum memorari suspicor. Nihil in codicibus constitutionum Romanarum frequentius, nihil ob latissime propagatos Romani Imperii fines ista morum, quibus diuersae vterentur nationes, recensione magis necessarium. Nisi enim legis ab Imperatoribus illis abrogatae Constantinum Magnum auctorem putes, quem imitatum Iudaeos eiusmodi quid constituisse coniecit IACOBVS GOTHOFREDVS ad const. IV. C. Theod. de emt. vend. fin, inquam, vetus habeatur institutio, qui, quae so, fieri potuit, vt de tali lege, qualem ad splendidissimas Romanae familias in primis pertinere oportuisset, nulla in antiquis siue iuris ciuilibus, siue historiarum scriptoribus mentio esset facta? Quid tum opus legibus testatorum et precibus, ne bona  
extra



extra familiam alienarentur. Plane talis *οικονομία* repugnat testandi veteribus Romanis concessae licentiae, et mirabilis ea esset legum discordia, quae opum familiae seruandarum rationem in emtionibus fanciuisent, vt in testamentis euerterent. Quod si nihilo minus accidit in Germania hodie et Francogallia, necesse est, moris nostri interitum ingruente iure Quiritium cogitemus. Nam qui hodiernas Germanorum consuetudines sibi constare autumet, hospes sit in foro atque historiis. Melius vtique conspirant leges Romanae, quae decemuirorum artificio et excellentissimorum iure consultorum ingeniis in medio consuetudinum peregre aduectarum turbine puritatem aliquam et constantiam seruauere. Caeterum consortium nomine Valentiniano Theodosio atque Arcadio *συνκλήρους* coheredes et socios priuatorum bonorum venire, in aprico est.

§. IV.

Quemadmodum vero altera illa sententiae nostrae pars, qua nullam depellendi emtoris actionem veteribus iureconsultis propinquitatis aut consortii causa innotuisse contendimus, tum testimonio PLINII Libr. VII. Ep. XI. cum cap. XXVI. D. de reg. iur. et variis Imperatorum constitutionibus, veluti I. C. Iustin. communi diuidundo. III. de communium rerum alienatione, quin ipsis Codicis Gregoriani reliquiis comprobatur, tantumque abest, vt cap. LXII. pr. D. de contr. emt. vend. et cap. IX. pr. de re militari, eam euerant, vt potius ob negatam vindicandi facultatem militibus praedia paterna emendi veniam fecisse videantur, sic e contrario cap. XXXIII. D. de minoribus, et const. XXII. C. de administ. tutorum, et classicus imprimis SYMMACHI locus Libr. IX. ep. XXIX. facile posset animos de Hermogeniani aetate, cuius illud de minoribus est fragmentum, deque imperatorum verbis *superiore lege cassata* in const. XIII.



XIII. cogitantes detrudere in IACOBI GOTHOFREDI opinionem. Nescio tamen, an falsa sit verborum Symmachi explicatio, petitionem Leonis non legum auctoritate nisi, sed mutuo honestatis amore, et amicitiae causa a se non exclusam aientis. Minoribus quidem quamlibet ob laesionem succurritur, vt affectionem rei, quae maiorum fuisset, citra vllam talem legem, qualem GOTHOFREDVS eo tempore valuisse existimat, in restitutionum causis collocare potuerit Hermogenianus. Venit aliquando in mentem vniuersum Valentiniani, Theodosii atque Arcadii praeceptum ad sola iura singularia, quae exceptionis emblemate, *nisi lex specialiter quasdam personas hoc facere prohibuerit*, aduersus generalem legis XIV. sanctionem defendit atque integra seruauit Iustinianus, pertinuisse. Quas species tantum non omnes GOTHOFREDVS l. l. commemorauit, vicanorum licet praelatione immerito intermissa. Sed totam rem ingenio lectorum permittendam censeo, quaecunque etiam eligatur opinio, veram hodierni retractus indolem Romanis ad Iustiniani vsque tempora ignoratam esse concessurorum. Caeterum si quid veteri Quiritium iure continetur, quod proxime ad formam nostram accedat, ius offerendi priori creditori creditum, vt in eius locum succedamus, apposite potest cum his rei venditae ac traditae translationibus ab inuito emtore comparari. Quod et alii passim obseruare, et conditor doctissimus *legis municipalis Mechliniensis* perelegante retractus descriptione, quem, ait, esse successionem in vicem emtoris, animaduertisse videtur. Tit. XI. Art. XXII. Pignoris etiam, cuius sit a principe impetratum dominium, rei que sub hasta venditae reuentionem in hoc genere censerii patior, vid. SCHILTERVS Exerc. XXX. §. 135. et si quis, me non monente, eius et redemptionum nostrarum, ex consortii vel communionis iure natarum diuersitatem agnoscat, modo re-

B

tractus





tractus ex conuentionibus oriundi nomen abiiciatur, cum haec illius cum iure simplicis praelationis non aliter, nisi per modum formulae hypothecariae, rem affecturo confusio tot errores publice priuatim que perniciosos pepererit, egeritque summos praeteriti temporis iureconsultos in transuersum.

## §. V.

Post Iustiniani aetatem fateor Romanum Lecapenum Augustum nobilissima constitutione, quam BONEFIDIVS Iur. Orient. p. XXV. CVIACIVS L. V. de feudis, et plerique nostrum ad calcem Nouellarum in publicum ediderunt, confortibus primo cognatis, secundo extraneis, tertio loco iis, qui solum immixti sunt, *τοῖς μόνον ἀναμεμυγμένοις*, quarto simul censitis, (GOTHOFREDI interpretationibus vtor,) quinto gradu vicinis quacunque parte, *τοῖς ἀπλῶς ἐν τινὶ μέρεσιν συναπτῶς ἠνωμένοις*, praeter *προτιμήσεως* siue praelationis ius, reuocandi etiam bona ipsis inuitis vel inficiis alienata potestatem dedisse. Hoc postea ius ad alios casus productum secuti Graecorum Imperatores nouis subinde legibus constituerunt. Quarum epitomen fecit praeter Attaliatam HARMENOPVLVS Promptuar. Libr. III. Tit. III. n. 118. quem ea de causa inter iuris de retractu auctores passim commemorari videas. Qua occasione silere non possum IOH. EISENHARDI, viri eruditi, modestiam, Harmenopulum de eo argumento exponentem se quidem non nouisse, nisi ex aliorum commendationibus, profitentis. O! quantum doctior foret Eisenhardus, si nostram attigisset aetatem, qui memoria patrum inclaruit. Nunc enim Theophili atque Harmenopuli et omnium Graecorum de iure ciuili opera cum insignibus Basilicorum voluminibus sine vlla interpretationis ope atque auxilio perlegerunt, qui Graecarum litterarum adeo elementa ignorant.

## §. VI.



## §. VI.

Instaurato a Francis per Occidentem Imperio, Siciliam, diu notum est, Graecorum imperatoribus paruisse. Quae postea, quam in ius ac potestatem Friderici II. Germanorum regis transierat, is inter alias constitutiones Siculis promulgatas totum Graecarum legum de *πρωτομύσεως* iure contextum plane e Germanicae prudentiae rationibus quibus non parua profici moris mutatio superueniret, in crebriorem hominum usum reuocauit perlata celeberrima lege, quam et LINDENBROGIVS habet in Cod. legum antiquarum. p. DCCXXXVI. et in V. Feud. libro posuit IAC CVIACIVS. Neque enim me poenitet eius esse sententiae, quam a Leysero atque aliis dubitanter afferri recordor, non Italis, nedum Germanis, constitutionem eam a Friderico II. publicatam fuisse, sed Siculis et Neapolitanis, e quibus Matthaeus de Afflictis eam luculento commentario illustrauit, deinde Italicos iureconsultos, vt tam in tota Italia, quam in aliis passim Europae regnis ex ea ius diceretur, sua demum auctoritate ac nouarum rationum expositionibus effecisse. Certe non magis ferenda est RHE-TII (*disp. de retractu consanguinitatis*) et aliorum quorundam iureconsultorum opinio, constitutionis auctorem Fridericum I. imperatorem existimantium, quam REINKINGII (*de retractu consanguinitatis*) et MOORSII *diff. laud.* originem iuris repetentium ab Hebraeis, a quibus postea ad veteres Graeciae ciuitates, deinde ad Romanos, ab his tandem in Germaniam peruenisset. Ne hodie quidem illa lex ordinariis iuris Langobardici in scholas et usum introducti capitibus accensetur, sed, quod e nouis accessionibus est, magis, quam ista, dubiae et suspectae auctoritatis creditur. Caeterum vniuersum Europae orbem tam celeriter peruagata est, quod cum plurimarum ciuitatum moribus atque institutis conuenire, et in vnius cuiusque populi quasi solo pars eius aliqua nata videbatur.



Consensum iuris Europaei ostendit inprimis SIMON VAN LEUVEN *Cens. for. Libr. IV. cap. XX. sqq.* et Hispanicarum, Belgicarum, Gallicarum, Italicarum ciuitatum leges summorumque virorum, Charondae, Ferronii, Boerii, Molinaei, Tiraquelli, Chopini, Coequillii, Dureti, Chassanaei, Christianaei, Sandii aliorumque in eas edita commentaria eum restantur. Quod quia cultu iuris Germanici accidit apud exteros, in quorum id mores per maiorum nostrorum migrationes abiisse et quasi per arma adoptatum esse tratalitium est, age, Fridericianae legis rationes domesticas, e quibus nisi tota, certe vsus eius tam late patens, manuerit, indicemus.

### §. VII.

Quinque praeferendorum classes descripsit, et eodem, quo Lecapenus, ordine collocauit Fridericus. *Inprimis uocentur parentes, inquit, qui sint coniuncti, post hos socii, post hos illi, qui sunt coniuncti, etiamsi extranei sint, post hos uocentur omnes, qui sunt sub vno seruitio, et qui sunt coniuncti ex aliqua parte.* Nihil de vicinis inesse, notemus obiter, cum ex iure vicinitatis desumpta retrahendi potestas omnino exorbitet, rariorisque sit vsus nec manifestae rationis. Totum *πρωτιμίσσεως*, indeque natum tituli emtionis in se transferendi ius nititur secundum hanc legem aliqua dominii aut seruitiorum comunione, ubi de seruitiis iniecta mentio loco census et praestationum, quas Romanus respexerat, tanquam emblema Germanicum, et militarem et rusticam prodit eius seculi disciplinam. Primus retrahentium gradus cognati, eadem de causa, ob quam retractum gentilitium esse omnium antiquissimum, constituimus. Ex quo enim Germani diligentiorum agrorum curam habere, construere duratura aedificia et figere perpetuas sedes didicerant, quod in quibusdam nationibus ante Tacitum Caesaremque factum esse verisimile est, caeteras exemplum Roma-



Romanum et crebra de finibus bella edocuerunt, ut pecorum ante atque instrumentorum, sic deinde fundorum dominia privatae quidem possessoribus descripta fuerunt, sed beniuolentiae et mutuae defensionis causa in singularum familiarum nexu et consortio permansere. Nulla Germanis testamenta: pacta de hereditate, nisi eorum, quorum interesset, consensu inuvalida. Nec omnium nationum mos bona quaestu comparata ab hereditariis eatenus, ut illa sine consensu heredum alienare liceret, distinxisse videtur, quod cum BOEHMERO *diff. de fundamento retractus duplicis in agris Hamburgensibus* atque HEINECCIO *Elem. iur. Germ. Tom. I. Libr. II. §. CCCCI.* plerosque viros doctos contra SCHILTERVM tradere meminimus. Hoc quidem ita sensim mutatum esse, ut, qui vendere fundos hereditate acceptos vellet, praecipue heredibus eos offerre, atque ipsis ius προτιμίσσεως permittere deberet, ipse LEYSERVS iudicat, eiusque rei testimonium legem Saxonum Tit. XVI. et ea, quae in v. *Offerre* attulit CANGIVS *Glossar. med. et inf. latin.* adducit. *Spec. CXIII. Med. I. et II.* Quo facto etiam retractus vsus ante Friderici II. tempora, si non expectata coheredum declaratione venditum esset, negare contra SCHILTERVM non debuisset. Erat enim ius praelationis Germanicum in ipsarum rerum dominio vel communiōe radicatum, ut necessaria ratione vindicationis facultatem tribueret. Impertiti coheredum consensus in praediorum alienationibus innumera medii aevi instrumenta testantur, quorum repertoria quaedam laudauit GNVGIVS. E legibus imprimis lex Baiuuariorum Tit. XIV. cap. IX. §. III. apud GEORGISCH in *Corp. iur. Germ.* et Saxonum Tit. XV. et XVII. memorabiles sunt, quarum nolo verba in vulgus nota apponere. Cum iis plene conueniunt iura prouincialia, Saxonum L. I. Art. XXII. et LII. et Alemannicum cap. CCCVIII. nec non lex vetus Magdeburgica, Art. LXI. et LXV. Illud tamen



fateri cogimur, quibusdam olim Germanicis nationibus contrarium placuisse. Verum variis pactis, quibus in communionem bonorum, aut defensionis aut successionis mutuae causa cognatos vel extraneos domini vitro adficerent, libertatem alienandi Langobardorum aliorumque populorum legibus concessam hic illic imminuere, et praelationibus ac retractui, quem ex generali lege non habebant, in singularibus causis locum dederunt, vt Friderici II. et Ardizonis atque Aluarotti temporibus, qui primi constitutionem illius in commentariis suis feudalibus posuisse commemorantur, tum in vniuersa Germania, cum in caeteris Europae partibus larga legis in usum ducendae materia deesset nusquam.

#### §. VIII.

Ex his, quae de retractuum origine disputata sunt, liquet, hanc facultatem ad bona quolibet modo comparata pertinuisse, quae, si a beneficiis aliisque, quarum in vniuersum alienatio sine dominorum coniunctorumue consensu prohibetur, rebus discedas, hodie in venditionibus tantum atque oppignorationibus locum sortitur. Satis igitur et contra veterem rationem coarctata est, qua ex cognationis vinculo, tanquam iure mutuae successionis, aliisque coniunctionibus pendet. Nec odiosam esse talem praerogatiuam existimo, quicquid pro commerciorum libertate in contrarium afferant. Haec enim magis in mobilibus rebus cernitur, quam in praediis distrahendis. Neque etiam naturali aequitati repugnat, proximos et consortes in emtionibus extraneo anteferri, quod sua iam aetate vidit IOH. OLDENDORPIVS, is quidem tanti existimatus ab illustrissimo Saxoniae viro BERNARDO ZECHIO, vt, quod MASCOWIYM narrare recorder, quem publici muneris candidatum eius de iure opera nondum legisse comperiret, eum dilata petitione prius ad legendum Oldendorpium





dorpium ablegaret. Deinde etiam hoc patet, in iure *ποριμύσεως* et retractuum constituendo legum Romanarum et Germanici moris rationes colligatas: earum aequitate hunc quasi temperatum fuisse. Quod eo valere debet, ne in ortis ex eo controuerſiis iudicandis, velut delicatiores hodie iuris Germanici doctores interdum solent, ducta e Romanis legibus argumenta repudiemus, etiamsi magnis cautionibus opus est, ne rationes domesticae evertantur. Quapropter tabulae legum Germanicarum in diuersis regionibus promulgatarum inprimis inspiciendae sunt. Vniuersim vera retractus causa consortium est, siue aliquod iuris communionisue vinculum, quod retrahentis praedio personaeue cum bonis reuocandis intercedat. Quae regula tamen in vna specie praelationis ex vicinitate obortae fallit, quam ob rem eam quoque interpretationibus coarctandam existimamus. Nam in caeteris quidem hodie per Germaniam passim obuiis (solent autem a viris doctis ad quatuor fere genera reuocari, cum citra consanguinitatem et condominium, siue ob incolatum, siue ob possessionem partis praedii, quacum alteram partem, olim auulsam et eidem domino vnum censum, vel ex aerarii rationibus vnum rei publicae tributum soluentem, nec non ab vno eodemque domino recognitam, consolidare congruat, hic illic venditos oppignoratosue agros liceat retrahere, vid. ENGAV *El. iur. Germ.* L. III. Tit. VIII. Sect. III. §. LXXVII. sq. AHASVER. FRITSCH. *Disp. de iure congrui et de districtu diuers. agrorum* EISENHARD. *Disp. de retractu territor.* et *ὁ πρόνυ* CAR. FERD. HOMMELIVS *Rhapsodia quaestionum elegantissime tractatarum* Obs. CCVI.) in his, inquam, omnibus emtionum possessionumque retrahendarum exemplis siue legibus siue pactis stabilita coniunctio ex aliqua parte apparet.



## §. IX.

Vtemur illis regulis in tractatu praepositae quaestionis, quae in causa cognati et congruentium possessoris frequenter obuenerit, eademque ratione decidi debet. Sed primum, quid aduersarii sentiant, videamus. Plane negat LVDERVS MENQUENIVS, retrahi posse bona auita, quae cum aliis rebus ita vendantur, vt de certo pretio constare nequeat. arg. cap. VII. X. de iure patronatus et cap. VII. §. XI. D. de acquirendo rerum dominio. Sed vt illa pontificii iuris epistola ad hanc causam nullo modo pertinet, sic altera ex Digestis allata Caii ratio sententiam Menquianam euertit. Quaerit Caius: an, si aedificium vendiderit is, qui aedificauerit, et ab emtore longo tempore captum post ea dirutum sit, adhuc dominus materiae vindicationem eius habeat? *Causa dubitationis est, an eo ipso, quo vniuersitas aedificii longo tempore capta est, singulae quoque res, ex quibus constabat, captae essent.* Quod non placuisse scribit. Quidni liceat contra Menquenium argumentari, vniuersitatem rerum venditarum ab obligatione liberam sine reuocationis metu emtorem capere posse, sed singulas res alteri praedio personaeue nexus non posse? Tanta est plerumque horum argumentorum ambiguitas atque inopia, vt in vtramque partem tardorum etiam ingeniorum versione ducantur. Non opus est, dicere, complures viros doctos in Menqueni opinionem versari, et potuit ea maxime iureconsultis Saxonice arrire, cum *Constit. Elector. Aug. XXXI. P. II.* retractum consanguineorum arctissimis limitibus circumscripserit, qua illi etiam sibi strictissimae interpretationis necessitatem impositam iudicauerunt. Verum Ienenses iureconsulti in Ernestinis ditionibus ab ea lege discessere, sui que dissensus causas singulari differentiarum, quae in Serenissimi Electoris et caeterorum Saxoniae Ducum iudiciis obseruarentur, designatione, cuius meminit SCHILTERVS, exposuere.

## §. X.



## §. X.

Sed latet alia in Menquenii verbis argumentandi ratio, cuius quoque vim eximius iureconsultus GEORGIUS ADAMVS STRUVIVS sensit. Hic enim *Iurispr. Rom. Germ.* L. III. Tit. II. *quando emtor, ait, auitis ademptis, reliqua retinere nolle, nec etiam venditor auita sola vendere vellet ius retractus effectum habere non potest.* Ad quem locum cum prouocasset in *Syntagmate iur. ciuil.* Exerc. XXIII. Libr. XVIII. Tit. III. §. LVI. commentator eius PETRVS MULLERVS Tiraquellum, Fabianum de Monte, Iacobum Curtium et Mathiam Colerum, quasi quaestionem, an consanguineus bona auita cum aliis non auitis vendita retrahere possit, simpliciter negando decidissent, nequiquam ex vero commemorauit. Nisi indicare voluit, eos tantum cum Struuio consentire, vt inuito emtori solas res auitas adimi non posse censeant. Equidem illustrem BERGERVM erudite contra hanc Struuii sententiam disputare video *Oecon. iur.* L. III. Tit. V. §. XIII. not. V. Vtrique difficultati, quam ille excitauerat, cur bona auita seorsum reuocari non possent, sic occurrit, vt primum emtoris vniuersorum bonorum imbecillitati imputet, quod re adhuc integra in conditionem rerum coemtatum diligentius non inquiserit, deinde illi, euictionis nomine, regressum contra venditorem, si quidem praeter pretium, quod a venditore receperit, ostendat suum interessè, ne res auitae a caeteris, quibus cum illae commixtae sint, diuellantur, concedat, tandem alteram argumentationem, nempe quod de pretio venditionis rerum auitarum constare nequeat, diluturus, illud per peritos iuratosque aestimatores scribat constitui posse, posse quoque idem illud per auctionem subhastationemue peruestigari: atque in istam sententiam summum prouocationum iudicandarum Senaturn Dresdensem iudicasse affirmat. Eadem opinio

C

THAEI



THAEI de *Afflictis* l. 1. §. ult. n. 35. et RICHTERI Dec. LXXVI. n. 47. aliorumque.

§. XI.

Neutram vero difficultatem Bergeri responsione sublata censuit WERNHERVS P. V. Obf. CCXXII. Nam et iudicia hominum circa rerum pretia summopere variare, et ipsam subhastationem dubium plane et anceps verum rei pretium indagandi consilium esse. Possē quoque emtorem intuitu bonorum retractui obnoxiorum reliqua emisse, et propter commoditatem aliasue causās maiori pretio, quam communiter fieri soleat, eadem aestimasse. Quo casu aequitatem non pati, vt aliorum iudicio stare debeat. Actionem ad id, quod interest, maxima, vt plurimum, cum difficultate coniunctam esse, nec tantum emtoris negligentiam aut vecordiam, vt ipsi sit necessitas, creptis bonis auitis reliqua retinendi, solo iudicantium arbitrio et legibus silentibus impingenda. His fere rationibus vtitur aduersus Bergerum Wernherus, neque tamen ipse, euictionem bonorum auitorum locum plane non habituram esse, contendit, sed liberum ait, emtori fore, vbi consanguineus ea retrahat, reliqua etiam dimittere, et totius pretii aestimationem petere, etiamsi eam speciem, vbi nondum facta traditio sit, et venditor consanguineo legem emtionis denunciauerit, de qua eadem nominatim Struuius scripserat, inprimis ob oculos habuisse videtur. Tunc enim, si et venditor declaret, se sola bona auita vendere nolle, ait, sibi non apparere, quomodo ad hoc compelli possit. Debere igitur consanguineum merito illud tempus expectare, quo bona auita seorsim vendantur. Nam sane non debet alteri per alterum afferri iniqua conditio, aut cognatorum facultas libertatem venditoris ita minuere, vt singularium rerum diuersas eum emtores quaerere oporteat, cum



cum potest vna totius patrimonii venditione defungi. Deinde, qui bona nullo tum successione iure sibi delata neque ex commisso reuocat, debet idem pretium easdemque condiciones offerre. Nec magis is audietur, qui partem pro toto emittare postulet, quam qui pecuniam pure promissam ab altero velit tardius aut diuifis solutionibus expendere. Et quemadmodum melior conditio allata esse videtur, etsi quis viliori pretio emere sit paratus, ea tamen remittat, quae venditori graua erant in priore emtione: cap. IV. §. VI. D. de in diem adiectione: sic e contrario, qui ea, quae graua sint, adiciat et acceptiora de lege emtionis detrahat, licet pretii adiectione priorem superauerit, tamen deteriorem conditionem obtulisse videbitur. *Quicquid enim ad utilitatem emtoris pertinet, pro meliori conditione haberi debet* cap. V. eod. Inprimis valent ea, quae Vlpianus cap. XI. et XIII. eod. tit. partim ex Sabino tradidit, et multi ad speciem nostram vtilissime produxerunt: *Si, tribus vendentibus, duo posteriori addixerint, vnus non admiserit adiectionem, huius partem priori, duorum posteriori emtam, ita demum verum est, si variis pretiis partes suas distrauerint; quod si vno pretio vendiderint, dicendum est, totam priori emtam manere, quemadmodum si quis mibi fundum ad diem addixisset, postea vero pretio adiecto dimidium alii addixerit.*

§. XII.

In illa igitur Wernherianae defensionis parte acquiescimus. Verum vt vnice partem Struuianae sententiae voluit a Bergeri obiectionibus vindicare, sic minus ad tuendum venditorem, quam possessionem emtoris defendendam, quae scripsit, ea nonnullis comparata esse videbuntur. Quibus ita occurri potest, vt ius retrahendi bona auita locum non habiturum esse dicamus, nisi ante traditionem actio rei



sibi prae aliis eodem pretio vendendae tradendaeque venditorem tenuisset. Sed quod concessisse videtur Wernherus, euictionis nomine emtorem aduersus venditorem agere posse, id plane non admittendum est. Quomodo enim damnum reuocatione partium vel singularum rerum factum probabit is, cui, ex Bergeri opinione, sibi peritorum aestimatorum iudicio nihil abesse, opponi potest, nisi rem retractam magis e communi hominum vsu aestimari, quam habita ratione pretii, quanti cum aliis per auersionem emta venierit, quanto sit maius caeteris ob eius coniunctionem ipsi statutum, velit bonorum virorum arbitrio definiri. Sed demus, damnum fecisse, cui partem rerum emtarum cognatus extorsit. Nonne sic testimonio Bergeri conficitur, qui rem e pluribus vno pretio venditis retrahat, nec omnes capere, restituto pretio, paratus sit, nec emtori nec venditori praestare easdem condiciones. Hoc ipsum docte et operose ostendit TIRAQVELLVS T. I. p. m. 272. et centum leges, quibus id efficiatur, cum totidem proceribus adduxit, se nullos reperisse, qui contrarium assererent, et solam partem ab inuito emtore retrahi posse, opinarentur, praeter Obertum Cremonensem et Firmianum testatus. Videtur autem hoc argumentum esse ex genere abundantium, neque tantum retrahentis obligationem ad omnia bona vno eodemque pretio recipienda, sed et emtoris ad ea dimittenda efficere. Quid? si consanguineus nolit parte retractui sola obnoxia esse contentus, sed aequitatis colore omnia simul emta eodem pretio reddi postulet. Nam poterit rationem probabilem, quod maius pretium totius sit, quam singularium partium distraetarum, allegare. At is deliberare debebat, vtrum vellet incerto aduersarii arbitrio euentum litis committere, cum integrum ipsi esset, ab omni reuocatione penitus abstinere, nec maior, quam auita bona retrahendi, facultas, quam suo plurium rerum desiderio augere



gere non potest. Sic soluit eandem speciem TIRAQVEL-  
LVS et contra eos, qui secus tenuissent, complura legum,  
etsi non satis perspicua legum argumenta cumulauit. Quid  
vero his praesidiis opus, vbi sana ratio imperat? Neque vl-  
lam ego legem aut consuetudinem, qua secus constitutum aut  
introducendum sit, me legere vnquam recordor. Aurelianen-  
sibus quidem atque aliis passim ciuitatibus placuit, rem pa-  
trimonialem ad se attrahere rem acquisitam. At id emtoris  
caussa, qui partem repetenti totum offerre queat, non vt re-  
trahentium cupiditatibus indulgerent, constituere.

§. XIII.

Missa paulisper Bergeri opinione, quae numero et ma-  
gnitudine defensorum munita ornataque variis rationum co-  
loribus apparet, vt non vno armorum genere ad expugnan-  
da ea praesidia opus sit, age, in Menquenii non numerofo  
exercitu, sed cui duces et milites instructissimi contigerunt,  
breuissimi temporis stipendiolum mereamus. Non ille mul-  
ta suae opinionis argumenta edidit, nec auctoritatem docto-  
rum virorum, quibus caeteroquin libentissime assectatur, com-  
memorauit. Dabimus ipsi tela, quibus nos ipsos posthac de-  
ferturos aggrediatur, quin, quibus milites sui eum induerint,  
perlustrabimus. Non videtur aequa conditio emtori totorum  
bonorum ab eo, qui partem retrahat, posse offerri. Vni-  
uersa petere nequit, quia obligatione non continentur. Rem  
vnam alteramue singularem petendo, qui dicat, se iisdem  
conditionibus redempturum? De pretii constituendi difficul-  
tate iam Struuii et Wernheri testationem mentis percepim-  
us. Quodsi iustum constitui potest, an idcirco idem il-  
lud primo venditori solutum? Summo iure decidisse videtur  
Menquenius, et formulae imprimis rationem habuisse. Nam  
si rem patrimoniam repetenti cognato incertum esse vendi-  
tionis



tionis pretium opponatur, nec cogi posse emptorem, ut eius arbitrium bonis viris committat, cum id ipse suis quisque rebus ponere naturaliter possit, quam exceptionem nos ipsi adversus Bergerum tuendam suscepimus; sin etiam vitro commiserit, tamen redemptorem non plane in suam vicem et aequales condiciones successurum, quod vniuersi iure retractus postulare valeat: nonne replica, se ad omnia bona simul vendita vno pretio recipienda paratum aientis, manifestam plus petitionem inuoluet? Cedo, eam non nocere auctori, an prodesse debet? Deinde ponamus hanc speciem, quae nobis nuper in actis iudicialibus obuenerit. Lucius Titius viginti agellos coniunctim vno pretio vendiderat. Emptorem vna actione conueniebant Caius, Maeuius et Sempronius, ex his viginti agris, quorum sibi quisque diuersos partim congrui, partim consanguinitatis, aliquos etiam, nisi me fallit memoria, vicinitatis iure nexos aiebant. Partem igitur quisque, cuius sibi redimendae potestas esset, oblato eodem pretio repetebant. At illi quidem exuendi Lucii Titii quasi societatem fecerant, cuius in iure patrocinium nolo suscipere, nam veros litis consortes a paucis eos habitum iri crediderim. Supererat praeter ea agri duo aut tres, quos aliquo praelationis iure nullus sibi asseruisset. Fac illos tribus separatis actionibus adversus fundi possessorem expertos esse: an singulis omnes agros coemptos reus reddere valebat? Si non poterat, nonne ipsi iniqua asserbatur conditio? Deinde si conferimus penes possessores electionem aut dimittendi vniuersos agros, aut aestimationis singulorum iudicis arbitrio committendae, si plus ab iis peti contendimus, vbi talis optio non relinquatur, finge Lucium Titium a Caio victum partis possessionem huic aestimatione habita tradidisse. Incipiat idem carmen canere Maeuius: tandem Sempronius. Illi ne ab vniuersorum agrorum, aut a quorundam emptione discedendi





dendi optionem penes Lucium Titium collocabunt? Nonne, si hoc prae se ferant; id amplius fieri non posse obicietur? Sin minus; quaeso, quomodo cum regulis nostris possit ea actio conuenire?

§. XIV.

Quas difficultates tollere, ante, quam caetera aduersae factionis arma, expediamus, perspicuitatis causa necesse est. Primum si ipse partem pro pretio auctoritate iudicis definito conuentouae velit emtor dimittere, volenti non fit iniuria, nec nos id permittentes in Bergeri castra transimus. Minime omnium is, qui retrahit, non eadem sibi aequitate subueniri, qua successoribus, conqueratur. Etsi enim vel partis vel vniuersi patrimonii reuendendi electio penes hos, non in reuocantis arbitrium alterutrius conditionis praeferendae potestas confertur, tamen ipsi integrum est, totum repudiare, si nolit etiam partem recipere. Neque ego hanc ratiunculam iam reiectam pro potentioribus Menquianae sententiae defensoribus, attulissimam, nisi eam subinde adducere caussidicos recordarer, quorum eloquentia, quam iudicum consideratione dignior est. Oblatio totius patrimonii loco partium in redemptionis iudicium deductarum faciet forte ex minuta interdum causa maiorem, sed actoris declaratio, se ad omnes res, quae coniunctim uenerint, restituto eodem pretio sumendas paratum esse, plus petitionem nunquam efficiet. Immo minus desiderat, qui id petit, quod alter praetulerit, etiamsi hoc ipsi graue sit, cum alterutrius electionem penes reum conferat. Veniamus ad casum difficilius inspectionis. Reddat vero Lucius Titius vniuersa bona coemta Caio, qui prior egerit, atque obtinuerit. Obligatio in rem scripta, nisi tempus retrahendi a priori emtione computandum, elapsum sit, possessorem concomitabitur, qui, si quaedam partes a Maeuio reuocentur  
idem



idem, quod suus auctor, praestabit, et Maenius, si eodem modo a Sempronio conueniatur, integro adhuc optionis iure gaudebit. Sin omnes concurrunt, et diuerso gradu cognati, nec eadem ratione consortes coniunctiue sint, ex eo, *uter retrahentium sit potior?* de qua quaestione singularem disquisitionem conscripsit WAHLIVS, ius praelationis inter ipsos constituitur. Quod si eodem gradu consanguinei sint, aut litis consortes euadant, aut rem iudicio fortis committant. Vtroque casu non interest possessoris. Nec dubito, quin, qui partes eiusdem fundi possideant, retractus, ut domini, iustam valeant societatem inire, quam in Caio, Maenio et Sempronio ob consortii et agrorum diuersitatem improbauimus. Caeterum si omnes agros Lucio Titio emtos iusto praelationis titulo sine vilius exceptione petere, et vnumquemque quamquam diuersis ex causis vnus ipsorum retractui obnoxium demonstrare potuissent, inutilis fuisset exceptio, nisi litis consortes non essent. Nam poterant singuli agere, et qui prior sententiam impetrasset, adempta sua parte caeteris agendi locum relinquere. Quomodo enim possessor, secundo auctori se eligendi potestate excludi opponat, cum ei semper responderi potest: redde totum, quod habes, restitue emtionis pretio, quod nondum consecutus sis a priore. Memini fere similem speciem a CHRISTINAEO ad Consuetudines Mechlinienses tractari, sed iam non succurrit locus.

§. XV.

Sed quae sine dubio causa et Menquenum et alios viros doctos ad contrariam opinionem amplectendum commouerit, suspicor retractus odium esse, et, nescio, quam illi obiectam peregrinitatem. Cui vtrique rei quia longiore disputatione, quam pro modo instituti quibusdam necessaria videatur, supra occurrimus, licet dictorum memoria propositi



siti ab aduersariis veritatem negare. Ne tamen iusto pertinaciores iudicemur, profitebimur omnem animi nostri sententiam. Nempe, quae ex iure vicinitatis oritur praelatio, nobis quidem iudicibus, est omni iuris atque interpretationis benignitate indigna. Liberae ciuitates, ne malum vicinum habeant, ne potentio-rem, prudentissime cauent. At homo priuatus non debet eo obtentu libertatem commerciorum turbare, cum, vt, nescio, quis scripsit, malum vicinum habere sit mali contingentis, nec mores personarum in possessores transeant, vt potentia populorum in reges, nec magistratum tutela atque auxilio careamus, denique e multitudine confinium frequentissimae retrahentium contentiones oriantur. Valeat praelatio vicinorum, vbi legitima consuetudine introducta est, sed ratione, legis, quae caeterorum retractum adiuuare iubet, cessante, retracturo vicino ne nimis opitulemur. Alia tamen ratio incolatus, cum incolarum verum esse consortium haud eam inficias. Quem ad modum nobilibus etiam, qui solum Imperatorem superiorem agnoscunt, beneficii a Caesare dati, vt bona ab ordinis sui viris vendita inter triennium repetere possint, amplissimus in summis Imperii tribunalibus vsus tribuitur, quanquam Imperii Ordines contra id priuilegium non sine causa apud Caesarem intercesserunt.


§. XVI.

Extrema Bergeri partibus, (nam hunc ipsis, vt caeteris scholis duces suos, non ob antiquitatem, sed virtutis et doctrinae excellentiam dedi,) praesidia extorquebo. Video passim ad cap. XVI. §. IV. D. commodati cap. III. IV. et VI. D. de actionibus emti, et maxime ad cap. XLVI. de euict. prouocari. Hoc quidem ex Africani quaestionibus sumtum sic habet:

*Si duos seruos quis a te emam, et eorum alter euincatur, nihil*

D

hil



*hil dubii fore, quin recte eo nomine ex emto acturus sum, quam-  
 nis alter decem dignus sit, nec referre separatim singulos, an  
 simul utrumque emerim.* Non laudat ea verba Bergerus, quip-  
 pe iuris civilis sapientior, quam ut posset. Ecquis enim ex  
 eo, quod, separatim singulos, an simul plures seruos emeris,  
 in actione emti vel ex stipulatu de euictione non refert, nec  
 in causa retractus discriminis rationem habendam esse colligat.  
 Sic etiam caeteris illis capitibus abutuntur, quibus, quid con-  
 tra venditorem ex emto iuris sit, non quid emtori fraudis  
 nescio ex moribus condicere, retrahentibus liceat, continetur.  
 Nec ex iis vlla ratione deduces, venditorem ad bona per par-  
 tes distrahenda compelli posse, quae tamen necessitas debet  
 esse ipsi imposita, consorte traditionem anteuertente, si postea  
 eius causa vis emtoribus eam imponi. Quibus vero aliis le-  
 gibus se defendere solent, illae fere de vindicationibus ordi-  
 nariis agunt, nec de eo retractu, qui restituto venditionis  
 pretio et praestitis iisdem conditionibus fit. Quare et em-  
 phyteucarii et beneficiarii praedii clam venditi euictionem  
 e centum aliis simul emtis sine vlla detentoris electione obti-  
 neri diximus. Plane si denunciata venditione emphyteuseos,  
 vel concessa alienandi libertate feudi dominus praeferrri aliis  
 emtoribus cupiat, quia debet in easdem condiciones conue-  
 nire, generali lege tenebitur. Nam quod in feudorum do-  
 mino et Gallicos et Italicos iureconsultos contra eam obseruari  
 scribunt, id e singularibus consuetudinibus est, aut ex ablati be-  
 neficii ob delictum cum *πρωτοπραξία* commixtione. Nec  
 cur in donationibus et omnibus alienationum generibus reli-  
 quis retrahentis petitionem non admittamus, idoneam ratio-  
 nem intelligo, si aestimatione praedii tantum effici possit,  
 quantum successione in verum locum emtoris.



## §. XVII.

Vnum genus aduersariorum arguere superfedeo, qui tum demum, quando bona vendito patrimonio contenta maximam partem retractui obnoxia sunt, eum posse exerceri scribunt propterea, quod pars minor sequatur maiorem. Sed hos aut singularis paucarum ciuitatum mos, aut illud, credo, iudicium, quo interdum contentio retrahentium ipsorum dirimitur, in errorum abduxit. Constituimus itaque ac decernimus, pluribus rebus vno pretio venditis, quarum aliae confortibus nexae sint, aliae non, illas quidem recte retrahi, ne in potestate venditoris sit coniunctos suo iure fraudare; sed penes possessiorem esse, velit omnes coniunctim, an has seorsim dimittere integro emtionis pretio restituto. Vt his ademptis reliqua emtor retineat, aut venditor ea sola distrahat, nec hunc nec illum posse a consorte vilo compelli. Euoluas, quae so, cap. XVI. D. de administr. tutor. cap. XXXIV. XXXV. XXXVI. de aedil. edict. et inprimis cap. XLVII. §. I. D. de minoribus. Vbi rationem iuris traditi et Romanorum prudentum in similibus exemplis auctoritatem agnosces. Ego vero inprimis miror, qui tot insignia Germaniae iureconfulti in tanto legum Germanicarum consensu potuerint a communi opinione diuertere. Nihil de moribus Gallicanis dicam, de quibus Tiraquellus et in legis Mechliniensis cum opinione nostra mirifice consentientis commentario Christinaeus testati sunt. At ne vnus quidem ciuitatis Germanicae legem noui, qua fecus sit constitutum; earum autem, quae sic iubeant, pro huius rei conditione non pauca. E quibus vt tempori et chartae parcam, heic loci duas tantum iuuat adscribere, vtramque extra patriae suae fines maxima auctoritate valentem, Solmensem nempe et Bauaricam. En verba Solmensis P. II. Tit. XII. *Wann Gueter zum Theil wohl und in guter Pflege, zum Theil aber uebel, und et-*




von auch weit entlegen sind, so soll der Abtrieb auch saem-  
 tlich geschehen, und dem Abtreiber nicht gestattet werden, sei-  
 nes Gefallens die besten und gelegensten Stuecke abzutreiben und  
 die andern nachgeligigen und entlegenen bleiben zu lassen, wel-  
 che sonst ohne die guten und vwohlgelegenen nicht vwohl zu ver-  
 treiben vaeren. Bavarica lege si cautum: Verkauft iemand  
 liegende Stuecke und Fabrnis auch Schulden und andere  
 Spruech mit einander in einem unvertheiltem Kauff, und vwill  
 der naechste Freund einstephen, so soll er die Fabrnis, Schul-  
 den und andere Spruech so vwohl als die liegende Stueck, oder  
 den Einstand ganz und gar verlohren haben. Tit. X. Art. IV.  
 Rei sic iudicatae exemplum commemoravit Schilterus.

Leipzig, Diss., 1766 H-Z

X 241 79 73







597.

1766, 42.

12

DE  
RE SINGVLARI E PLVRIBVS  
VNO PRETIO VENDITIS  
RETRAHENDA

EXERCITATIONEM IVRIS GERMANICI  
ILL. I.CTORVM ORDINIS AVCTORITATE  
P R A E S I D E

IOH. THEOPHILO SEGERO

IVRIS SCIENTIAE ET PHILOSOPHIAE DOCTORE  
CODICIS ANTECESSORE ORDINARIO SVBSTIT  
COLLEGIO I.CTORVM ADSRIPTO

A. D. XIII. NOVEMBER. AN. CIOIOCCCLXVI.

H. L. Q. C

AD DISCEPTANDVM PROPOSVIT

CHRISTIANVS CAROLVS KANNE

IVRIS VTRIVSQUE CANDIDATVS.

---

L I P S I A E  
LITTERIS VIDVAE LANGENHEMIAE

